

EPISTULA LEONINA

LXXXVI

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXXXV INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
OCTOGESIMAM SEXTAM (86) !

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam octogesimam sextam.

De usu et abusu sophophoni scribere perrexi gavisus, quod lectores affirmant tales tractatûs sibi placere. Tolle lege ea quae referuntur de generatione capitis declinati deque eroticonatione et de pornomaniâ, a qua perdifficile esse desuefieri nobis affirmat Rudolfus Rietmann Helvetius theologus. Îdem autem vir pro certo habet omnem imaginem pornographicam esse periculosam. Haud scio an de hac re alii aliter sentiant.

In fine huius Epistulae Leoninae utinam legas ECHUS VOCES. Nam oportet non solum editorem symbolas scribere, sed etiam lectores sententiam suam proferre. Prolixissima epistula nobis allata est a quodam Pseudonymo, qui sibi imposuit nomen Porculatoris. Babae, iste cultor porcorum quam argutus est!

*De sentiis autem Porculatoris necnon aliorum utinam iudices secundum verba prophetae Isaiae: Butyrum et mel comede, ut scias reprobare malum et eligere bonum...**

Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Iovis, 27. m. Aug. a. 2015

* cfr ISAIAS 7, 14sq. ... et vocabitis nomen eius Emmanuel 15 butyrum et mel comedet ut sciat reprobare malum et eligere bonum 16 quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum derelinquetur terra quam tu detestaris a facie duum regum suorum



ALBERTUS DE HALLER

(1708-1777)

**VERITATEM SEQUIMUR, ERRORES ET
PRAEIUDICIA PROFLIGAMUS.**

SOPHOPHONOLOGIA

id est

De usu et abusu telephoni intelligentis,

quod vulgo vocatur *smartphone*,

Latine autem

SOPHOPHONUM.

PARS ALTERA (II)



SURSUM CAPITA !

MEDIA SOCIALIA

"Generatio capitis declinati" – Quanta solitudo efficitur sophophono?

d.12.m.Maii. a.2014 | 12:56 h



Ecce puer computatro tabellari utens: Estne haec generatio perdita?

Ecce res nuper Coloniae Agrippinae facta: *Ioshua* (12 annos natus) tres sodales domi secum habet pernoctaturos. Vespere atta conclave inspicit – videt omnes pueros quattuor in pavimento sedentes sophophona sua aspicientes dactylographare. Atta *Ioshuam* interrogat: »Heus num vultis inter vos colloqui?« Illi respondent: »Scilicet colloquamur. Inter nos colloquimur per *WhatsApp*«.

Hodie adulescentes magnam partem inter se nuntios communicant eo, quod unus alteri mittit tachygrammata (*SMS*). Iuvenes, qui a primis pueris ad res digitales assueverunt ("*digital natives*"), interdum sunt in interrete morbosissimi. Iidem antequam constituunt, num quem puerum puellamque coaequalem visitent, primo severè interrogant: "Vosne reverâ domi habetis interrete infilatum (*Wlan*)?"

Epibatis societatis aeronauticae, cui nomen est *Air Berlin*, nunc licet instrumenta electronica adhibere etiam tempore, quo aeroplanum avolat aut appellitur. Usque nunc praescriptum erat, ne iisdem spatiis temporis adhiberentur sophophona et computatra tabellaria gremialiave...

Verumne prioribus temporibus omnia fuerunt meliora?

Evidenter apparet *Garyum Turkium* nuntium suum (v. *EL 85, p.15sqq.*) divulgare per ipsa illa retificia socialia, quae vehementer vituperat. Praeterea nonnulli usores interretiales sententiae illius Britanni diffidentes quaerunt: Num reverâ illo tempore, quo tramine subterraneo

vehentes nondum pusillum monitrum electronicum nobiscum gerebamus, collocuti sumus cum hominibus iuxta nos sedentibus? Num puellae puerique reverâ rebus naturalibus tam studiosê dediti erant, ut cottidie in sacculo bracarum secum gererent lumbricum recentem?

His quaestionibus auditis *Prof. Winfred Kaminski*, director Instituti media investigandi mediorumque paedagogices Coloniensis, non potest, quin subrideat et »Iam ipse Plato« inquit »invectus est in scripturam, quia sensit eâdem memoriam destrui, hominesque nihil iam memoriter tenêre – scilicet Homerum cantorem fuisse. Sic homines perrexerunt argumentari: typographiâ inventa, facultate legendi percrebrescente – semper erant, qui hanc rem vehementer vituperarent. Saeculo decimo septimo multi invecti sunt in "Actorum diurnorum cupiditatem", saeculo vicesimo in morbum "telephonitidis". Deinde secuti sunt "oculi quandranguli", qui dicebantur effici televisorio. "Magnetoscopium? (*Videorekorder*). Nequaquam tale instrumentum domui nostrae imponemus! Quasi non sufficerent tria programmata televisorii!" Sic a.1980 loqui solebant multi cives Germaniae eruditi«.

»Novis mediis etiam efficiuntur novae facultates«

Prof. Kaminski: »Nullum medium« inquit »statim ab omnibus hominibus alicuius societatis comprobatur recipiendum, sed, postquam receptum est ab usoribus prioribus („*early adopters*“) – qui plerumque adulescentes sunt novas res experiendi cupidissimi - paulatim etiam comprobatur ab hominibus aetate provectoribus. Ubi primum sexagenarii quoque assuefacti sunt ad medium sociale adhibendum, nullus iam homo loquitur de eo«. *Ulrike Wagner*, directrix Instituti paedagogices mediorum Monacensis, similiter iudicat: »Si qui homo simplex credit prius omnia meliora fuisse, ineptê rem credit, quae pulchrior est quam ut sit vera, nec intellegit his mediis quantae facultates novae efficiantur«.

Experientia docet iuvenes retificiis socialibus interdum etiam celerius inter se consociari quam hoc prius fieri potuit. In *Ioshuae* classe scholari pueri et puellae plerumque alii cum aliis vix solent aliquid unâ facere – sunt enim duodecim tredecimve demum annos nati. At omnino aliter res se habet in retificio sociali, ubi omnes pueri puellaeque inter se scribunt nuntios. Immo, ibi unus audet alii confiteri amorem, quod nullo modo fieri posset inter pausam in aulâ scholae, ubi necesse esset, ut unus inspiceret alterius oculos. At discipulae attentissimê cavendum est, ne verba »*Amo etiam te*«, quibus confessioni respondet, negligenter mittat non solum illi condiscipulo, in cuius amorem incidit, sed de amore suo certiolem faciat totam classem.

SYMBOLAM QUAE INSCRIBITUR

"Generation Kopf unten" - Wie einsam macht das Smartphone? - | WAZ.de - <http://www.derwesten.de/wirtschaft/digital/generation-kopf-unten-wie-einsam-macht-das-smartphone-d9337465.html#plx529245377>

**IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS**



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

DE EROTICONATIONE (*sexting*)

Adulescentulas sophophono se photographare nudas, photographemata aliis mittere



Photographema lascivum fit celeriter, celeriterque e sophophono potest mitti. Haec actio nova a iuvenibus appellatur »*sexting*« (Latinê eandem nuncupemus erot-icon-ationem; quod verbum compositum est ex verbis graecis, quae sunt ἔρως, ἔρωτος „amor, cupido“ et εἰκῶν, εἰκόνας “imago”).

Willich/Essex ex oppidis. Iuvenes persaepe aliis mittunt imagines sui ipsius lascivas. Tales imagines si interreti impositae sunt, vix prohiberi potest, ne passim divulgentur. Tutores iuvenum scholarumque rectores parati sunt ad hoc periculum impugnandum. Quinque scholae Rhenano-Vestfaliae participes incepto examinatorio (*Pilotprojekt*) student istam consuetudinem iuvenum dubiam melius indagare atque custodire.

Hodie vix fieri potest, ut iuvenes seiungantur a suis sophophonis. Aliquoties «cliccantes» iidem photographant imaginesque aliis mittunt. Necnon periculum subeunt, cum mittunt photographemata sui lasciva. Hoc phaenomenon appellatur »*Sexting*« (Graeco-Latinê hanc actionem appellemus *eroticonationem). Tutores iuvenum gravissimê monent de huius rei periculis.

Quid est eroticonatio sensu stricto?

Eroticonatio est quoddam genus sexualitatis vel veneris telephonicae, quod fit aetate sophophoni. Verbum originale compositum est e verbis Anglicis, quae sunt *sex* et *texting*, quod valet *tachygraphare (*SMS*). Iuvenes (plerumque puellae) eroticonantes corpus suum exhibent aut leviter vestitum aut prorsus nudatum ante cameram sophophoni, eademque photographant photographemataque mittunt per *Whatsapp* ad – si optimê fit, ad amicum suum, cui admirationem movere volunt re

inexpectatâ, si pessimê fit, ad hominem sibi per interrete leviter tantum nôtum, qui cupit imagines pornographicas.

Qualia sunt pericula?

Haec res difficilis fit, si photographema, quod ad unum solum missum est ut privatum nuntium eroticum, nunc in gyrum mittitur ab uno ad alium. Si mittitur ad alios homines aut – quod etiam peius est – interreti imponitur. Si idem photographema liberê potest accedi, sine ullâ tutelâ personali. *Professor Christianus Pfeiffer*, qui est particeps Instituti Saxoniae Inferioris Criminologici: »Interreti« inquit »si quae imago iam inest, eadem nullo modo potest retineri. Tum vix impediri potest, ne eadem imago percrebrescat. Nam interrete nihil obliviscitur«.

Quomodo privatum photographema lascivum in gyrum mittitur?

Id quod in initio nihil est quam lascivulus lusus paris iuvenum inter se amantium, celeriter potest fieri magna res omnino inexpectata et odiosa, e.g., si sodales inter se colloquentes gloriantur de photographematis amicarum lascivis. Aut si amore finito unus alteram ulcisci cupiens eiusdem photographemata imponit interreti publicanda. – Aut si per errorem fit, ut photographemata interreti imponantur. Nonnulla sophophona sic sunt instituta, ut iisdem novae imagines automaticê imponantur nubi (*cloud*) aut communitatibus interretialibus (*Online-Communities*).

Tales lusiunculae quam fatalem in finem desinere possint, apparet ex nonnullis rebus in Americâ factis. *Prof. Pfeiffer*: »In Civitatibus Unitis« inquit »huius rei causâ nonnulli iuvenes ipsi desperati iam mortem sibi consciverunt«. Animas quarundam puellarum diffractas esse, cum non passae essent pudorem suum publicê violari. – Itaque eroticonatio celeriter fit molestatio interretialis (*Cybermobbing*).

Quot iuvenes solent eroticinare?

Talium rerum perscrutationes certae fideque dignae incohatae demum sunt. At *Prof. Pfeiffer* criminologus refert ex interrogatione in Germaniâ orientali factâ apparere quintam ferê quamque puellam decimumque quemque puerum iam aliquando alii misisse photographemata scopocinemata (*videos*)que erotica sui ipsius.

Quanam re tot iuvenes non cessant eroticonare?

Prof. Pfeiffer »Quia eadem iuvenes« inquit »putant tales imagines amico missas esse indicia amoris sui. Aut quia eo quod corpus suum monstrant pubescens, commoventur quadam exspectatione voluptuosâ. Nonnullae puellae videntur etiam excitari eo quod corpus hîc modo exhibent viro alieno«, – istud autem fieri potest periculosum. Fieri etiam,

ut viri puellis, quas per interrete cognoverint, minari his ferê verbis quae sequuntur: »Nisi mihi mîseris photographemata tui nudae lasciviora, in te instigabo Angelos Infernales (*Hells Angels, i.e. grassatores autobirotarios sceleratos*)«.

Ecce exemplum

Willich in oppido Rhenano-Vestfaliae, quod situm est in circulo *Viersen*, nuper innotuit quendam magistrum gymnasticum in scholâ collegisse discipularum photographemata lasciva. Astyphylaces enim apud eundem virum invenerant talia photographemata, facinus adhuc investigatur. Prof. Pfeiffer criminalitatis indagator, qui hac re facta est scholae consiliarius: »Quattuor puellae« inquit »iam monuerant de illo magistro, sed iisdem in scholâ non creditum erat. Earum querelae in irritum ceciderunt, quia discipulis defuit persona specialis, quam consulere possent«.

Quid agendum est parentibus magistrisque?

Tutores iuvenum criminologice gravissimê monent de periculis eroticonandi. Qui dicunt istam consuetudinem iuvenum percrebrescentem esse prohibendam. At multos adultos numquam quid audivisse de eroticonatione. *Beniaminus Wockenfuß*, Sedis Hassicae Manias Inquirendi (*Hessische Landesstelle für Suchtfragen*): »Plerique magistri« inquit »hanc consuetudinem ignorant. Parentes quoque aegrê cognoscunt, quantum valeant talia vitia mundi virtualis«. *Christianus Pfeiffer* criminologus suadet, ut parentes, si eius liberi ratione interretiali molestentur, scholam certiolem faciant et unâ cum liberis eant ad astynomos.

Persecutio poenalis

Libro legum (nondum) inest »molestatio interretialis« („*Cybermobbing*“). Tamen iudices invenerunt viam, qua talia delicta punirentur. Puniri enim possunt scriptorum pornographicorum divulgatio et minae et concussionem exactionesve violentae et laesiones verborumque contumeliae. *Prof. Pfeiffer* commemorat casum quendam Bavariensem, in quo vir quidam nuper damnatus est ad custodiam trium annorum.

Quomodo pericula eroticonationis perguntur impugnari?

Astynomi scholaresque ex casu nuper in scholâ Willichensi facto nonnulla concludunt faciendâ. Ab astynomis Instituti Saxoniae Inferioris Investigationis Criminologicae nunc investigantur interroganturque discipuli quinque scholarum Rhenano-Vestfalicarum. Nunc tandem quaeruntur res gravissimae: Quot discipulae admonentur, ut se exuant eroticonandi causâ? Cur assentiuntur? *Christianus Pfeiffer*: »Oportet« inquit »scholarum magistris directoribusque explanemus eroticonationem

magnum esse problema aetatis nostrae«. Îdem criminologus postulat, ut magistri de eroticonatione certiores fiant ratione fide dignâ et sat amplâ, cuius institutionis specialis particeps fiat etiam ministerium cultuale. In illâ scholâ Willichiensi autem mulier quaedam virque quidam nunc instituuntur, ut fiant magistri eroticonandi molestationisque interretialis periti. - »Hanc rationem utinam aliae scholae comprobata recipiant«.

SYMBOLAM CUIUS TITULUS EST

Gefährlicher Trend – Jugendliche verschicken Nacktbilder - | WAZ.de

<http://www.derwesten.de/panorama/gefaehrlicher-trend-jugendliche-verschicken-nacktbilder-id9188585.html#plx89635880> - d.31. m.Mart. a.2014 | 18:30 h

QUAM SCRIPSIT KIRSTEN SIMON

**IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS**



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

»Perdifficile est a pornomaniâ desuefieri«

Rudolfus (Rolf) Rietmann in Helvetiâ moderatur consultationibus, quae fiunt in organisatione *Wüstenstrom* in *Pfäffikon ZH*. A consultatoribus plurimum tractantur identitas, sexualitas, sexualitas morbosa, pornomania, abusus sexualis. Is vir cum suadens comitatur homines rebus pornographicis obnoxios, bene scit, de qua re loquatur.



Rudolfus Rietmann: »Qui conclavi parvulorum imponit computatrum personale a còlo tutorio vacuum, is agit negligentissimè«.

Idea Spektrum: Rudolfe Rietmann, potestne fieri, ut homo fiat tam obnoxius pornographiae quam drogae materiali?

Investigatores tomographo resonantiae magneticae (*MRT = Magnet-resonanztomograph*) adhibito invenerunt res pornographicas ad cerebra hominum pornomanicorum eodem modo valere quam alcohol valeretur ad cerebra potatorum aut nicotinum ad cerebra fumatorum. Experientia mei ipsius observationesque meae professionales clarè atque certè me docent rebus pornographicis consumendis effici posse maniam, i.e. obnoxietatem morbosam. Nonnulli autem homines celerius afficiuntur tali pornomaniâ neque eadem est minus pertinax quam aliae maniae.

Pornographia sophophono puellis puerisve liberè accessibilis est. Officium valetudinis foederale utitur scaenis sexualibus in cinematibus, quae fiunt ad morbum sidae impugnandum. Societas nostra ad sexualitatem redigitur immoderatè. Qui sunt effectûs huius rei?

Nondum fieri potest, ut effectûs huius rei accuratè aestimentur. Effectu pornographiae abundantis pueri praecipuè compelluntur, ut quam

maximê praestent in rebus venereis, puellae autem, ut habeant corpus quam perfectissimum semperque sint paratae ad venerem praebendam. Accedere possunt quidam timor atque animi infirmatio. Sexualitas seiungitur a ratione, quam aliquis init cum alio homine aut numquam cum illâ ratione coniungitur. Relinquitur nihil nisi habilitas quaedam animae expers. Homo redigitur ad obiectum in orgasmo defixus.

Quid tu, ut es Christianus, de hac re cogitas, et quomodo efficitur ad animam hominis?

Primum hoc dicam: Christiani quoque multi pornomaniâ affecti sunt. Necnon in tentationem inducuntur rectores communitatis christianae sive parochi sive pastores. Equidem nonnullos huiusmodi suadendo comitor. Quidam technicus informationis (IT) invênit ex sexaginta studentibus cuiusdam evangelicalis sedis institutoriae in regione germanophonicâ sitae viginti studentes certis temporibus spectare res pornographicas. Qui fuerunt e tribus duae partes omnium studentium virorum. Ergo hoc problema multum valet ad societatem. Praeterea mihi persuasum est Deum multo plura velle quam homines peccantes vituperare digito erecto.

Scisne accuratius describere, de qua re agatur?

Si biblia consideratur ratione spirituali, Deus a primâ litterâ usque ad ultimam agit de vitâ et de ratione relativâ. In ambabus his orbitis – ut ita dicamus – nobis vita est agenda. Deus nos infert vitae procreandae: Qui vult vitam gigni viri feminaeque relatione obligatoriâ. Deus nobis explanat connubium esse imaginem primam rationis, quae intercedat inter se et gentem Israheliae, inter communitatem et nosmet ipsos. Communitas autem describitur sponsa, Iesus sponsus. Itaque fidelitas est tanti momenti. Renegatio relationis hominum cum Deo ineundae in bibliâ comparatur cum stupro atque scortatione. In libro Apocalypsis, capitulo 21, versu 8 libidinum intemperantia gravitate aequatur idololatriae et habetur pro effectu Dei renegati. Id est, non vitiis destruitur relatio ad Deum facta – hoc tamen etiam fiat aliquatenus – sed relatione ad Deum disturbatâ fiunt vitia. In initio est relatio magis magisque abalienata, quae desinit in abruptionem. Nihil relinquitur nisi quaedam regulae exanimatae et praecepta moralia. Maximê peccatur eo, quod non habetur relatio ad Deum, quod vitium sequuntur peccata activa. Nobis iterum iterumque quaerendum est: Quid iuvat vitam? Et quid iuvat relationem, quam habemus ad Deum? Ex his quaestionibus apparet, quam exitialiter valeat pornographia: Qua vita non fovetur, sed relationes destruuntur: relatio, quam habeo ad me ipsum, ad Deum, ad homines.

At ethica christiana in nostrâ societate non iam est norma. Suntne in provinciâ sexualitatis adhuc quaedam regulae, quae generaliter valent?

Sunt adhuc duae regulae: Ne oriantur infantes inoptati neve violentia adhibeatur, nisi homo consors assentitur. Nostra societas ad magnam partem sequitur theoriam instinctûs. Nonnulli investigatores contendunt pornographiam habere etiam effectum utilem: Eâdem effici, ut quadamtenus vapor emittatur (e cortinâ) et impedi, ne fiant constuprationes.

Num haec opinio convenit? Licetne hominem comparare cum cortinâ vaporariâ, quae est valvulâ instructa?

Sexualitas est instinctus. Instinctus autem variê potest considerari. Aliqua ratio considerandi est explicatio *motivationalis. Qua dicimur non dirigi instinctu tamquam cortina dirigatur pressione vaporis, sed nos in sexualitate nostrâ invenire +motiva vitae, quibus incitemur. In hac re praecipuê consentaneum est hominem considerare ratione *holisticâ.

Scisne nobis exemplum afferre?

Iuveni cuidam e domo severê christianâ oriundo aliquâ de causâ persuasum erat se foediorem esse, quam ut umquam inveniret uxorem. Itaque is iuvenis se addixit pornographiae. Îdem erat animo perquam desperato. In eo duo motiva subliminaria inter se coniuncta sunt: Qui iuvenis Deum voluit »ulcisci« et pornographiae deditus sibi visus est coniungi cum formosis feminis, quas credebat sibi non esse accessibiles.

Haec res multum valet: In sexualitate nostrâ interdum latent motiva non-sexualia. Huic explicationi a psychologis magis magisque vis attribuitur. Instinctui enim inops obnoxius sum, sed motiva possum tractare. Iuveni autem interim contigit, ut a pornomaniâ desisteret, motiva sua tractaret feliciterque mulierem in matrimonium duceret.

Multisne contingit, ut a pornomaniâ desistant?

Hodie cum ex aliquo a me suasionem petente quaesivissem, quid mihi dicendum esset in hîc colloquio interrogatorio, ille respondit: »Dic omnibus, ne umquam incipiant se dedere pornographiae!« Nam perdifficile est desistere a consumptione pornographiae, si quis iam est pornomanicus. Haud pauci eorum, qui suasionem petiverunt, colloquia finiunt pornomanici manentes. Mania mihi videtur esse conatus commotiones animi ad aequilibrium redigendi.

Ergo multum valuerit pornomaniae praevenire. Num parentes sciunt, quas res liberi sui sophophono aspectent?

Verisimile est paucos tantum parentes hoc scire. Qui partim res technicas prorsus imperiti nesciunt, quales res eretiri possint ter cliccando. Hodie iam parvuli possident sophophona. Qui conclavi parvulorum imponit computatrum personale ab omnibus cõlîs tutoriis (*Schutzfilter*) vacuum, agit negligentissimê. Nam non solum agitur de pornographiâ, sed etiam de violentiâ aut de dialogeis (*Chatrooms*), in quibus versantur homines paedophili.

Nonne necessarium est totam societatem hanc rem curare: parentes et magistri et moderatores iuvenum oportet sciant quomodo fiant tales res rebusque moderentur. Fitne hoc an sunt omnes infirmiores, quam ut hoc praestent?

Scilicet etiam magistros moderatoresve iuvenum communitatumque debere hanc rem tractare. At quot homiliae fiunt de sexualitate? Vix ullae aut tales tantum, in quibus sacerdos monens digitum tollat. Communitas christiana cum occasionem praetermiserit ethicae sexualis positivae docendae, invehitur in fideles, nisi iisdem contigit, ut ethicê vivant. At e contrario media multo maiorem vim habent ad hominum mores sexuales.

Tu hominibus suades sexualitati morbosae atque pornomaniae obnoxiiis, quid facere debeant. Tunc ipse afflictus eras talibus animi inclinationibus?

Eram. Primo computatro personali accepto vehementer afflictus eram. Spatio septem annorum tantâ cupiditate eram, ut unam imaginem pornographicam post aliam cliccando aspectarem sine ullo moderamine.

Illo tempore officio functus es pastoris christiani?

Ita fuit. Negabam me esse cupiditati morbosae obnoxium, ita ut drogomanicus negare solet se esse morbosum. Pornographia erat methodus mea, qua conarer »superare« commotiones iniucundas et problemata et quaestiones vitae insolutas. Cum sic vivebam, nequaquam fruebar voluptate, sed animus meus inanis perturbabatur. Ingenti fraude mei ipsius conabar commotionibus animi moderari. Homo pornographiam consumens petit ebrietatem beatitudinemve insulatus. Detrimentum autem capit eo, quod pornographiâ consumptâ celeriter fit pornomania, qua anima hominis quoquo modo destruitur. Petitio

saturationis fit coactio. Pornomania mihi fuit »socio formidulosa«, qua haud celeriter defunctus sum.

Potestne fieri, ut homo se prorsus liberet a pornomaniâ?

Certê potest. Sed doleo, quod multi viri satis esse putant se pornomaniam magnam partem deminuisse. Deinde desinunt consilia petere.

Quid parentibus faciendum est, cum animadverterint filium suum adolescentem aspectasse cinema pornographicum?

Oportet parentes liberos quam quietissimê alloquentes thema animo aequo tractent, praesertim filium sinant narrare. Quomodo in hoc cinema incidisti? Quare tuâ interfuit idem aspectare? Cinema cum aspectares, quo animo fuisti? Ita fieri potest, ut puer etiam eloquatur, cinema aspectans quibus affectibus iniucundis fuerit. Ergo oportet parentes attentê auscultent, quieti maneant, deinde demum agant – e.g. computatro sophophonove còlum imponant antipornographicum (*Pornofilter*). Postea pergant cum filio de hac re colloqui eiusdemque animum curare. Etiam in hac re ne ea remittant ad instrumenta technica, quae sibi praestanda sunt. Parentes si sermone nimis aspero res a filio postulant, periculum subeunt, ne is aliquamdiu tantum praecepta eorum sequatur coactus, sed non persuasus.

Quomodo oportet uxor se gerat, cum animadverterit maritum aspectare cinematographica?

Oportet ea maneat quam tranquillissima, sed absolutê necesse est eam eloqui, quibus rebus commoveatur et patefacere, quid sentiat in intimo animo – necnon maritum facere ex integro responsabilem. Deinde maritus debet agere, fortasse auxilium ab aliis petere, sed non ab ipsâ uxore. Res perdifficilis est, si maritus, qui per complures horas in septimanâ aspectat cinematographica, ipse id non assequitur, ut inveniatur sedem consiliariam, sed mandat uxori, ut hoc faciat.

Quomodo fieri potest, ut Christiani se ipsos tutentur periculo praevenientes?

Omnis imago pornographica est periculosa. Nam eâdem aspectâ res falsae menti imprimuntur. Ratione spirituali si pornographiam consideramus, dicendum est eandem esse rem valdê vitiosam. Iesus dicit ipsam mariti cupiditatem solam mulieris, quae non est uxor eius, aequiparari adulterio. Christianus debet iterum iterumque curare, ut

consciis sibi sit Deum sibi inhabitare secumque intimè coniunctum esse, etiam coniunctiorem, quam maritus et uxor umquam inter se coniungi possint (legatur primum capitulum primae epistulae ad Corinthos scriptae). En nuntium quam magnificum. Et quam vilem animae illusionem, quae nobis vendit industria pornographica! Et – interdum oportet adhibeatur còlum antipornographicum.

De Rudolfo Rietmann

Rudolfus (Rolf) Rietmann (quinguagenarius) est theologus et consiliarius quoad systemicam analysin transactionis, cum Ria connubio coniunctus, ei sunt duo filii (7 et 5 annos nati). Idem vir moderatur laboribus consiliariis negotiationis Helveticae, cui nomen est „Wüstenstrom“ in Pfäffikon ZH. Argumenta consulendi atque suadendi gravissima sunt identitas sexualitas, sexualitas morbosa, pornomania necnon abusus sexualis.

COLLOQUIUM CUM RUDOLFO RIETMANN FACTUM

<http://www.jesus.ch/magazin/gesellschaft/ethik/270096-Der-ausstieg-aus-der-pornosucht-ist-enorm-schwierig.html>

**IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS**



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

QUALE NOMEN LATINUM IMPONAMUS INSTRUMENTO, QUOD ANGLICE DICITUR *scanner*?

De hōc instrumento denominando iam compluries scripsimus; etymologia verbi Anglici docet “*to scan*” duci a verbo temporali scandendi, quod apud Terentianum Maurum valeat syllabas ratione metricâ mensurare; ex hōc sensu verbi in sermone Anglico per metaphoram factus est sensus perscrutandi. Quia nomen Anglicum non solum latē patet et ferē ubique intellegitur, sed etiam est radicis Latinae, proposui formam verbi Latinam a nomine Anglico non nimis remotam et in litteris neolatinis iam adhibitam, quae est *scandibulum. At quidam lectores hanc vocem Latinam novatam acerrimē repudiantes proposuerunt *scrutatrum, -i n. Quod mihi ipsi videtur nimis generale; ceterum quod attinet ad euphoniā, praefero *scrutabulum.

Ecce interim quidam lector Epistulae Leoninae attentissimus, qui sibi imposuit nomen Porculatoris, mihi suasit, ut adhiberem nomen neograecum, quod mihi, ut verum confitear, melius placet quam verba supra proposita! Quae vox graeca est **σαρωτής**. Vide symbolam Wikipedianam neograecē scriptam:

<https://el.wikipedia.org/wiki/σαρωτής>

Ο **σαρωτής** (*αγγλ. scanner*) είναι μια σύγχρονη ηλεκτρονική συσκευή που συνδέεται με [ηλεκτρονικό υπολογιστή](#) δια της οποίας επιτυγχάνεται ψηφιοποίηση εικόνας (φωτογραφίας ή σχεδίου) καθώς και κάθε εγγράφου με σκοπό την αποθήκευση ή την επεξεργασία ή και την αποστολή αυτών.

Η ψηφιοποίηση αυτών γίνεται ανάλογα είτε με πρόγραμμα επεξεργασίας εικόνας σε διάφορους τύπους αρχείων αποθήκευσης, είτε με πρόγραμμα επεξεργασίας κειμένου, όπου απαιτείται και ένα επιπρόσθετο πρόγραμμα οπτικής αναγνώρισης χαρακτήρων (γραμμάτων, συμβόλων), είτε ακόμα με σύνθετο πρόγραμμα DTP που πραγματοποιούνται μαζί και οι δύο παραπάνω χωριστές επεξεργασίες.

In litteris palaeograecis inveniuntur hae formae (Liddell-Scott p.1585 s.v.):

σάρ-ωσις, εως, ή, (**σαρώω**) *sweeping away*, φύλλων POxy.1692.II(iii A.D.). 2. = **σάρωμα**, Suid. **σαρώτης**, ου, ό, *sweeper*, IPE (= *Inscriptiones orae septentrionalis Ponti Euxini*, ed. B. Latyshev, Petersburg 1885-1901), 2.342.21 (*Phanagoria*, pl.). **σάρωτρον**, τό, broom, Eust.(= Eustathius Episcopus Thessalonicensis, XII A.D.) 1887.35, Thom.Mag. (= Thomas Magister Grammaticus, XIII/XIV A.D., Ed. F. Ritschl, Halle 1832) p.201 R.

σαρώτης fuisse homo, non instrumentum, indicatur a Francisco Passow, Handwörterbuch der griechischen Sprache, 2.Band, 2.Abteilung, Darmstadt (Wissenschaftliche Buchgesellschaft, 1970 (= 5.Auflage Leipzig 1857), p.1382:

σαρωτής, οὔ, ὄ, (σαρώω) der Fegende, Gloss.

Ut distinguamus instrumentum ab homine, instrumentum, quod anglicè dicitur „*scanner*“, Latinè vocemus: ***sarōtron**, -ī n.

Gratias plurimas ago Porculatori Epistularum Leoninarum lectori attentissimo.

SYMBOLAM QUAE INSCRIBITUR

QUALE NOMEN LATINUM IMPONAMUS INSTRUMENTO, QUOD ANGLICE DICITUR *scanner*?

COMPOSUIT

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

ECHUS VOCES

d.24. m.Aug. a.2015 RAINERUS HENKE, olim professor instituti classicae philologiae Monasteriensis scripsit haec:

Carissime Leo Latine,

maximas tibi gratias ago pro tuis continuis epistulis iucundissimis, quippe quae eruditione iocisque abundant. Quibus donis quia non ignoro multos alios non minus delectari quam me, spero te quam diutissime has litteras componere esse perrecturum, atque valde gaudebo, si etiam futuro tempore lepidis muneribus huius generis ornabor.

Monasterii, a.d. VIII. Calendas septembres

Rainer[us] Henke, olim professor instituti classicae philologiae Monasteriensis.

RESPONSUM LEONIS LATINI

Carissime Rainere,

valde vehementerque gaudemus, quod scribis tibi placere Epistulas nostras. Laude tuâ firmati studebimus seriem horum scriptorum frequentius continuare. Pancratice valeas et pergas nobis favere. L.L.

d.24. m.Aug. MARCUS CRISTINI nobis scripsit haec:

Marcus Cristini Nicolao Groß s.p.d.

Libentissime *Epistulam Leoninam LXXXV* accepi et legi. Symbolae de sophophonologia recte hodiernam rerum digitalium, accessibilitatis continuae colloquiorumque tachygrammatibus perpetuorum diram cupidinem narrant, quae in Italia quoque die hodierno magis magisque viget. Nam homines mulieresque, ubicumque sint (in statione ferriviaria, in laophoro, in via, in viridario vel in autocineto), saepissime sophophono utuntur, mundi exterioris penitus obliti. Nuper vidi universitatis professorem qui, dum examen tempore studentes interrogabat, sine pudore sophophono suo tachygraphabat. Semel, discipulo loquente, tachygrammate lecto, ilico paulisper telephonice locutus est! *Quid non mortalia pectora cogis, sophophoni sacra fames!*

Magno cum gaudio legi et seriem vocabulorum computatralium et interretialium. Verba *melophonum*, *sophophonum* vel *tachygramma* brevitate et perspicuitate excellunt, res digitales novas multo melius describunt quam periphrases Latinae longae involutaeque, quae saepe leguntur. De verbo *computatro* opinionem tuam scire velim, cum in Caelestis Eichenseer *Collectaneis usui linguae Latinae dicatis* verbum *ordinatrum* praefertur verbo *computatro* (pp. 110, 194, 249). Hoc est certe Anglicae linguae propius et memoratu facilius. Estne tua sententia verbo *ordinatro* praefendum?

Optime vale!

Marcus Cristini

RESPONSUM LEONIS LATINI

Nicolaus Marco sal.pl.dic.

Care Marce,

gratias ago plurimas pro litteris tuis. Quod attinet ad verba novata, quae sunt *computatrum et *ordinatrum, pro certo habeas me neutrum repudiare, sed nomen neolatinum, quod est *computatrum, praeferre, quia ubique terrarum notum sit ideoque melius intellegatur. Nam in neologismis adhibendis interdum subtilitati praevallet facilitas.

Ceterum multum placent mihi, care Marce, epistulae necnon symbolae (e.g. pro Voce Latina) a te scriptae. Utinam pergas orbem Latinum scientiâ tuâ eloquentiâque ditificare.

Pancratice vale ! N.G.

PORCULATOR quid sentiat de novis verbis a Leone Latino confictis

Lector quidam ignotus nomine ficto, quod est »Porculator« confictâque inscriptione interretiali, quae est Nou Badi vgimnlz@gmail.com, d.21 m.Aug. h.02.min.36.sec.47 Leoni Latino scripsit hanc electronicam epistulam prolixam:

Salve Nicolaue, mitto tibi epistulam quamdam, si tibi otium et voluntas est pervolvere et respondeas quaeso. Valeas, Porculator.

Salve Nicolaue,

primum sinas gratias tibi agam pro litteris tuis, certe multos iuvant. Accepi te docere etiam Graece, *multum* adjuvet multos accipere litteras similes Graece scriptas. Velim quaedam dicere de tua via ac ratione verborum fingendorum.

In litteris 76. scripsisti:

In abyssis interretialibus de novis quoque verbis Latinis multi multa solent mentibus revolvere atque ruminare, sed saepe verba nova proponunt **parum consideratê atque circumspectê, nimis temerariê atque barbaricê**. Oportet in talibus rebus tractandis respiciantur omnes rationes notionis novâ veste Latinâ induendae: non solum ratio semantica, sed etiam etymologica et phonetica et morphologica, ne confunderetur verbum novatum cum verbo iam pridem nôto, neve orerentur monstra verborum absona et **mendosa**.

Rectissime mones et quis non consentiretur tecum, sed mihi videris modo aliquot versibus supra *parum consideratê atque circumspectê, nimis temerariê atque barbaricê et mendose* verbum finxisse, dico *scandibulum*.

Si tu velis vertere in Germanicum sermonem verbum Anglicum quod est *digital*, quid facias?

An hoc modo deliberes:

1. Aha, *digital* significat 'id quod pertinet ad *digits*', vocabulum quod originem ducit ab latino *digito* – Finger, ergo *Digitalsignal* erit *Fingersignal*?!?!?

an sic:

2. Aha, *digital* significat 'id quod pertinet ad *digits*', vocabulum quod germanice dicitur *Zahlzeichen* vel *Ziffer*, et tunc haberes fortasse *Ziffersignal* vel *Zeichensignal*.

Vel e.g. *nuklear*:

1. *Nuklear* ab verbo latino *nuclearis* – quod pertinet ad *nucleum*, quod est nomen deminutivum verbi quod est *nux*, quod significat germanice *Nuß*, ergo *Nuklearwaffe* est *Nusswaffe* vel potius *Nüsschenwaffe*?!?!?

2. *Nuklear* ab verbo latino *nuclearis* – quod pertinet ad *nucleum*, quod germanice dicitur (*Atom*)*Kern*, ergo *Nuklearwaffe* est *Kernwaffe*.

Eligas sane alterum (2.). Ratio patet, nonne?

Si hac ratione fingimus nova vocabula in quadam lingua, id est imitantes rationem originationalem (etymologicam) „linguae matris“ tunc oportet finem faciamus ubi primum invēnimus vocabulum nobis iam notum in hac lingua, et ex hoc vocabulo faciamus novum verbum derivatum. At non ex infima radice verbi! Cur? Quia hoc modo **servatur significatio!**

Ut iam monstravi in parte superiore, *digital* (hoc sensu) pertinet ad *Zahlzeichen*, at non ad *Finger* et si diceres *Fingersignal* nullo modo pateret quid velis dicere vel cur sic appelletur et esset nomen omnino falsum ac mendosum. Cum anglice loquentes dicant *digital* (sicut in *d. computer*) illi non cogitant de *fingers* (digitis) sed de *digits* (notis numerorum v. numeralibus).

Cum autem dicant *digital dexterity* vel *digital rectal examination* tunc cogitant de digitis et hoc dici potest per *Finger-* : *Fingerfertigkeit...* Eodem modo de *scanner*, sic vocatur quia radius lucis accurate, ordine rationeque perscrutatur imaginem/rem, sicut de homibus dicitur: *a fire lookout scanning the hills with binoculars*.

Ergo *scanner* est quis/quod *scans*, i.e. qui scrutatur aliquid, at nullo modo qui *scandit* quidquid. Cum latine *scandere* non significet scrutari, instrumentum ad scrutandum nullo prorsus modo potest esse *scandibulum*, *scansorium* vel quidquid aliud derivatum ab scandendo, quia, itero, hoc significat aliquid ad scandendum, ascendenum sicut genus machinarum apud Vitruvium. Instrumentum ad scrutandum possit esse *instrumentum scrutatorium*.

Primis quattuor sententiis (1-4) dicis te scire verbum *scan* significare et *scandere versus* (pedes versuum metiri/enumerare) et *perscrutari*. Intellegis insuper *significationem metri versûs alicuius poetici perscrutandi translata esse [in lingua anglica] ad perscrutationem generalem. Sed quid ad nos, quid ad rem!?!?!?*

Quomodo referri potest ad nos aliquid quod fit in quadam alia lingua? Ut apud nos dicunt *regnum regno non praescribit leges*, possum dicere *lingua linguae non praescribit leges*. Quid ad nos quomodo mutatum sit vocabulum in lingua anglica, permulta vocabula latina significationes novas acceperunt in anglico sermone sed quid ad linguam latinam? Lingua latina est mortua, immortalis immo, nos et multi ante selegimus conservare indolem linguae eo ut possemus colloqui cum Cicerone, cum Seneca, eo ut lingua latina esset pons per saecula. Non est lingua viva ubi imperita multitudo legibus comparationis similitudinisve accipit nova verba et significationes. Neque vitupero hoc in linguis vivis, hoc fit naturâ, utrum semper sit bonum necne, alias. Lingua Latina non est una ex linguis neolatinis, non licet una cum Italis dicere *scansione* tantum propter quamdam longinquam similitudinem cum verbo Anglico, quamvis originalem (etymologicam).

Haec omnino stulta ratio videtur mihi vigere in multis linguis: quomodo vertamus hoc verbum anglicum, ah, quin scribamus vocibus (phonematibus) nostrae linguae aut inveniamus radicem latinam non ab anglis mansam et nil respicientes significationem componamus novum verbum pseudolatinum. **Sicut**

esset scopus quam melius imitari verbum anglicum, sicut deberet verbum nostrum in mentem revocare verbum anglicum.

Tu dicis: 4. *Haec origo anglici verbi Latina multum valet in novo nomine Latino fingendo, nam nomen instrumenti Anglicum hodie ferê ubique valet.* Origo verbi sit anglici sit cujuslibet linguae valet nonnihil, nam praebet exemplum fingendi. Sed animadvertite **te non recte adsecutum esse originem verbi anglici**, ut supra exposui. Sed etiam, non semper possumus sequi hanc viam, quia fortasse haec ratio fingendi non exstat latine, neque semper debemus, exstat fortasse nomen multo melius quod possumus induere notioni. Utrum nomen Anglicum valet ubique necne non multum refert, quamvis omnibus linguis dicatur *scanner*, nihil ad nos nec ad quamlibet aliam linguam. Nomina anglica et ex aliis linguis sunt consilia nobis, quae possumus imitari aut non, non sunt praescripta. Pergis dicens *scrutatrum* cacophonikum videri, fortasse, sed etiam *computatrum* quod tu proponis alibi.

Autamas deinde: **Scrutabula autem, i.e. instrumenta rem aliquam perscrutandi, sunt permulta; oportet hoc nomen sit magis generale, nomen aliquatenus magis speciale oportet sit *scandibulum.*

Etiam si sunt multa, hoc non obstat quominus omnia ista permulta eodem nomine nominentur. Ex contextu verborum fere semper patebit quid velimus dicere, insuper possumus addere *scrutatorium scriptorum, corporis*, etc. si velimus accuratius dicere. Multae linguae abundant verbis multa significantibus. Aut seligere quoddam aliud verbum, bonum verbum, re vera significans id quod debeat significare.

Alterum, etiam si scrutabulum vel scrutatorium non esset satis singulare vel speciale, scandibulum / scansorium est sescenties peius ac ineptius vocabulum, quia, tertium, **significat aliquid omnino aliud**, et melius esset dicere *instrumentum quod anglice scanner dicitur* loco hujus imaginis vocis verbi anglici.

Et utrum forma quaedam inveniatur necne in lexico quodam saeculi **octavi decimi** re vera per se nihil refert, sicut nunc ita etiam tunc, quislibet potuit conscribere qualelibet lexicon. Non dico verbum non esse bonum, tantummodo non multum referre utrum aliquis non Romanus dixerit hoc verbum necne, quamvis sit Erasmus, nos debemus sequi regulas linguae, q.d., classicae, quia hoc nobis proposuimus, et res novas accipere parce et tantum si nimis difficile dicere esset ratione classica. Nullo modo laboro morbo Ciceronismi, et libenter accipiam verba sicut invisibilis, possibilis quamquam non inveniuntur apud „sanctum“ Ciceronem. Mea sententia possumus adhibere omnes rationes verborum fingendorum quae sunt apud auctores classicos quamvis tantum

exstent fortasse duo exempla; sed etiam nonnullas posterioris latinitatis quae non damnum afferunt linguae classicae intelligendae.

Haec est una ex rationibus fingendi, imitare linguam matrem, sed nil prohibet quominus aliis modis nominemus rem. Possimus cum Graecis dicere σαρωτης vel fortasse σαρωτηριον / σαρωθρον. Vel *lectorium* (**lucale/opticum*) (*imaginum*), quod mihi non malum videtur, praesertim quia conjungit significationes collegendi, carpendi, transeundi (vada dura lego), observandi (tumulum capit unde omnis longo ordine posset aduersos legere et uenientum discere uultus), τοῦ ἀναγιγνώσκειν. Vel id quid Anglica *digitizer* dicitur.

Quid me fert ad *digital*. Ut supra dixi, significat id quod pertinet ad *digits* – notas numerales, notas numeri, cifras. Potestne Latine dici *digitalis* pro hoc? Nescio, sed dubito. Imitantes Graecos ψηφιακός possimus dicere *calcularis* et *calculus* (ut in tabula calculatoria), vel *calcellus* et *calcellaris*. Et tunc fingere verba *calculificare/calcellificare* – vertere in formam calcellarem = digit(al)ize. Nisi *digitus* significat notam numeralem vel numerum, haud facile accipi potest pro *digit*. Nisi Anglice diceretur hoc modo, nec deliberaremus de digitis, credo. Sed fieri potest ut fallor, et re vera in usu fuisse hoc vocabulum significans notam.

Sitne *applicatio* optimum verbum pro Anwendung? Concedamus, sed quomodo applicatio per se potest significare Anwendungssoftware – programmata ad usum quemdam singularem constituta? Nescio quis possit intelligere *tabernam applicationis*, nisi propter similitudinem cum sermone Anglico. Ego dixerim simpliciter *taberna programmatis* (si dicitur singulari). Nunc etiam dubito de voce programmatis, verbum enim Anglicum significat *program of instructions* (*program* sicut in theatro, quod Latine dicitur, ni fallor, *libellus*), i.e. *index/ratio/libellus/ordo praeceptorum ad machinam instruendam*. Nisi Latine dicitur programma pro *ordinem quarumlibet rerum* nescio an (non) possit recte adhiberi.

Quaedam alia:

Boot = systema ciere, movere?

Browser = phyllometreta, re vera? opusne est tali vocabulo Graeco ad aliquid tam simplex. Programma lustratorium vel navigatorium vel ...

Cybersex = coitus retialis?

Cur est *data* tantum in plurali numero? Nonne possumus dicere *datum* pro *piece of data/information*.

Datotheca in quibusdam linguis significat *file* et est nomen aptum ad hoc.

Eretire <> *inretire*, vel simpliciter *depromere* <> *inferre* vel aliquid simile.

Inretire iam aliquid aliud significat, possit etiam hoc fortasse significare, sed estne re vera opus vocabulo proprio ad hoc?

Monitor = monitrum? Anglice *to monitor* non significat hoc sensu *monere* sed potius *inspicere, observare*. Monitor est primum instrumentum ad inspiciendum systema, deinde album/linteum, ut aiunt, ad inspiciendam qualitatem imaginis, et denique instrumentum ad ostendendas imagines.

De *interreti* multa sunt dicta, ergo breviter. Anglice *Internet* non significat rete inter retia/homines/gentes, sed est forma brevior verbi *internetworking – the interconnection of networks to form a network of a higher order* – intextus retium; *concretatio retium; *retificium. Possumus sed non debemus sequi exemplum Anglicum. Composita ut *inter-X-(i)um* significant aliquid quod est inter (duo) X, quod multi intellegunt spatium, sed significat etiam id quod est in hoc intervallo, ut mihi videtur. Et habemus *internuntium*, qui est nuntius inter duos homines, et fortasse *interregem* regem aut tantum virum qui munere regis fungitur (?) inter duos reges. **Concedamus *interrete* posse significare rete inter homines / computatoria, sed estne hoc nomen aptum,** cum nulla in lingua hoc sibi velit hoc vocabulum??? Mihi haud ita videtur, potius agitur iterum de **lingua anglica** (vel quadam neolatina) **imitanda et revocanda in mentem**, et sane iterum prave! Nonne est simplicius dicere tantum *rete*, quid aliud possit hodie significare? Quisnam loquitur de retibus piscatorum, et quando possit esse dubium de quo sensu loquamur? Junctura autem *internet protocol* videtur exstitisse ante verbum *Internet*, et re vera significare *interretialis*, quod fit inter varia retia, eodem sensu sicut *internationalis*, inter nationes, sicut *certamen iniectum* esse posse *inter primores civitates*, nonne; mihi videtur 'inter' idem significare in *quos inter magna fuit contentio* et in verbo *internationalis*, nonne?

iPad et iPhone sunt nomina propria et haud necesse mihi videtur ea vertere.

Link: vel *vinculum*.

Estne opus vocabulo *retificii* in *social network*, cum linguae neolatinae non faciant hoc discrimen.

SMS: vel *nuntiolus*.

Programmatio, hm, videtur imitatio sermonis Anglici.

Tablet: vel simpliciter *tabula*.

Touchscreen non est prorsus *monitor* sed genus *screen*, albi visifici, ut dicunt, potius album (visificum, aut aliquid) tactile.

WLAN non sibi vult *wireless Internet*, quamquam nonnumquam nostris in linguis hoc modo dicimus, sed significat prorsu *rete* quoddam (parvum) cum quo jungimus undis et non filis.

Vidi iam saepe apud te, *cinema* = *film*, *movie*, cur? Nonne possumus una cum hispanice loquentibus dicere *pellicula* v. *taenia* (sc. cinematographica, „motiscriptoria), hoc sibi etiam vult vocabulum Anglicum.

Videor fortasse vehementer impetum in te fecisse, sed, quaeso, noli accipere in malam partem, tantum volui meam sententiam exprimere. Et mihi ipsi miror quam multum scripserim. Ergo, credo me sententiam meam bonis argumentis confirmasse, et libenter accipiam tuum responsum nolens rixari vel quidquid tale. ☺

Cura ut valeas καὶ σκόπει/εννόει δὴ τὰ περὶ τῶν Ἑλληνιστῶν γραμμάτων, ὡς ὀρᾶς μεγάλην χρεῖαν ἔχω αὐτῶν ;),

Porculator

RESPNSUM LEONIS LATINI

LEO LATINUS PORCULATORI SAL.PL.DIC.

Care Porculator,

plurimas gratias tibi ago, quod tam studiose castigavisti nonnulla vocabula computatralia a me novata. Sane miror, oh callide cultor porcorum, te animo tam inflammato deliberasse de novis verbis Latinis confingendis, ut horâ ferê secundâ post mediam noctem, quâ plerique homines aut somno aut Baccho aut Veneri dediti esse solent, scriberes Latinam epistulam prolixissimam. Lunâ fataliter crescente tu firmê fortiterque defendis Aquilam nostram. Care Porculator, videris mihi esse verus Latinitatis vivae zelator!

Aliquatenus perturbor, quod nomen tuum celare cupis. Quid hoc sibi vult? Quem aut quid times? Quare mihi indicas more Ulixis Homerici nomen Nemini («Nou Badi»)? Equidem non sum Polyphemus anthropophagus. Quidnam verum sit nomen tui? Sine me divinare. Profluentem scribis Latinê, multa scis de linguis, Graecam bene videris nosse, etiam mysteriis artis computatralis videris initiatus esse. Quid de ficto nomine tuo porcino? Esne Θωμᾶς ὁ Ἀλώπηξ polypalaeoglottus (Latinae, Graecae, Hebraicae, Aramaeicae, Sanscritae linguae eximie peritus) nec a porcinis scribendis abstinens? Ignosce mihi, care Porculator, si falso divinavi.

Haud pauca mihi potius videris scripsisse altercandi quam apti vocabuli inveniendi causâ. Pace tuâ (et nostrâ) ista omittam magis rabulistica quam heuristica. An reverâ tu credis mihi ex quadraginta ferê annis lexicographiae

Latinitatique vivae dedito aliquot sescentarum vocum Latinarum novatori librorumque translatorum ignota esse illa, quae magnâ cum verbositate enarras de etymologiâ et significatione deque vocabula confingendi normis observandis? Si hoc credis, pro certo habeas te personam gerere illorum, quos nomine ficto contendis alere: Porcus doces Minervam. Unum tantum praeceptum generale, quod mihi commendas leviter tangam oportet: Graviter me mones, ne serviliter sequar anglici sermonis normas structurasque verborum. In hac re tu mihi videris affectus esse quadam anglophobiâ, quae nobis lexicographis neolatinis sit parum utilis, ne dicam haud leviter noceat. Minimê obnoxius sum linguae anglicae imperio, sed bene scio eandem ubique ferê terrarum nôtam esse multumque valere necnon habere multas voces latinae originis (quamvis sit ipsa stirpis palaeogermanicae). Cum oporteat neologismos Latinos faciles esse intellectu, tum in multis disciplinis (maximê in computatrali) lingua anglica praevalet: itaque interdum convenit (si quidem cautio adhibetur) verbum anglicum e latino verbo exortum ad formam latinam redigere. Scilicet respiciendam esse non solam etymologiam, sed etiam significationem mutatam. At non licet generaliter postulare, ut significatio praevaleat etymologiae.

Rabulisticis omissis propero ad heuristica tractanda. Breviter dicam de singulis neologismis a te vituperatis.

1. digitalis – digitus – calcularis/calcellaris e.al.

Valdê falleris, care Porculator, cum opinaris Anglos demum verbum digiti sensu arithmetico adhibuisse, e.g.

IODANUS NEMORARIUS saec.XII.ex.-XIII in. »Digitus est omnis numerus minor decem« . –

Scriptores ecclesiastici de musica sacra potissimum, 3 vols., ed. Martin Gerbert (St. Blaise: Typis San-Blasianis, 1784; reprint ed., Hildesheim: Olms, 1963), 1:296-302: »Illud quoque scias, quia *digitus*, hoc est, omnis *numerus* infra decem ...«

Ea adiectiva (verbaque temporalia ex iis derivata) quae commendas (calcularis, calcellaris, calculificare e.al. monstruosa), non possum, quin graviter repellam. Nam iisdem adhibitis magis fiunt mentium confusio et perturbatio quam illuminatio verê Latina; vox digitalis merê Latina cum sit et ubique terrarum latê pateat, oportet servetur in ipso sermone Latino !

2. angl. scanner = *scrutatrum? - *scrutabulum - *scandibulum?

Magnâ cum verborum redundantia invecus es in verbum a me propositum, etymologiam verbi anglici (scan – scandere) Latinam eiusdemque diffusionem internationalem nimis vehementer respuens (absit anglophobia). Tamen grato

animo comprobo vocabulum neograecum a te propositum (vide symbolam specialem supra a me scriptam!)

3. applicatio et programma

Tu scribis: “Nescio quis possit intelligere *tabernam applicationis*, nisi propter similitudinem cum sermone Anglico. Ego dixerim simpliciter *taberna programmatis* (si dicitur singulari). Nunc etiam dubito de voce programmatis, verbum enim Anglicum significat *program of instructions* (*program* sicut in theatro, quod Latine dicitur, ni fallor, *libellus*), i.e. *index/ratio/libellus/ordo praeceptorum ad machinam instruendam*. Nisi Latine dicitur programma pro *ordinem quarumlibet rerum* nescio an (non) possit recte adhiberi.”

Scilicet similitudinem linguae anglicae esse quidem non argumentum unicum, sed grave: reprobato quod pro computatrali voce ubiquitariâ surrogare vis monstra verborum more Cardinalis Bacci conglobata. Comprobo, quod pro tabernâ applicationis dicis tabernam programmatis, sed reprobato, quod pro voce programmatis supponis circuitiones verborum parum commodas.

4. to boot

Quod proponis iuncturam verbalem, quae est “systema ciere/ movere”, minimê respuo. Nil obstat.

5. browser – phyllometretes

Similiter placet mihi haec vox neograeca, quae adhibeatur in re computatrali ac illa vox sarotae, quam tu commendas. Verba neograeca saepe nobis sunt exempla bene apta. Non nimis longum est verbum.

6. cybersex – coitus *retialis ?

Non videris rectê intellexisse sensum huius notionis (an iocaris?).

7. data/ datum

Scilicet etiam singularem formam interdum esse adhibendam. Adnotandum est hoc participium perfecti passivi Latinum ex unâ parte latê patere in multis linguis modernis, ex alterâ non bene aptum esse ad coniunctiones verborum novas confingendas. cfr angl media, theod. Medien – verbum ubique terrarum notum, e Latino sermone derivatum, tamen propter formam suam grammaticam et sensum mutatum aliquatenus a normis Latinitatis discrepans. Interdum etiam defensoribus Latinitatis vivae compromissa sunt facienda.

8. eretire = to download - irretire = to post

Placent haec verba in re computatrali adhibenda, quia sunt brevia et facilia intellectu. Non est periculum, ne confundantur cum re piscatoriâ.

9. screen = *monitrum – album visificum?

cfr angl. monitor; fr. moniteur; hisp. monitor; ital. monitor; neogr. οθόνη (του υπολογιστή)

Mones sensum verbi Latini originalis nomine anglico conficto aliquatenus esse mutatum. Tamen sensus subest etiam neologismo Latino sat intelligibilis: Monitro monemur de statu computatri aut rerum a computatro conditis atque tractatis. Album visificum (in Lexico Auxiliari indicatum, ad “Kinoleinwand” spectans) nimis salebrosa et parum utilis est vox novata; adiectivum, q.e. album, displicet in hac re; quomodo Latinê dicis i.q. “weißer Bildschirm”? Et quomodo appellas coniunctiones verborum, quales sunt “Bildschirmkopie, -kontrolle, -übertragung” et sescenta alia huiusmodi? Cavendum nobis est, ne incidamus in errores Cardinalis Bacci monstruosos. Fortasse consentaneum est, ut etiam deliberemus de voce neograecâ adhibendâ:

Η οθόνη του υπολογιστή (αγγλικά: [μόνιτορ](#)) είναι μια [ηλεκτρική συσκευή](#) που απεικονίζει εικόνες δημιουργημένες από [υπολογιστές](#). Οι περισσότερες σύγχρονες οθόνες αποτελούνται από μια οθόνη [υγρών κρυστάλλων](#), ενώ οι παλιότερες οθόνες βασίζονταν σε [καθοδικό σωλήνα](#). Η οθόνη περιλαμβάνει την συσκευή απεικόνισης, καθώς και απλά [ηλεκτρονικά κυκλώματα](#) για να παράγει και να διαμορφώνει την εικόνα από το ηλεκτρικό [σήμα](#) που στέλνεται από την πηγή, και ένα συνήθως πλαστικό κάλυμμα. Στον υπολογιστή, υπάρχει κύκλωμα γραφικών (συντά σε μορφή [κάρτας οθόνης](#)), το οποίο παράγει οπτικό σήμα σε μορφή συμβατή με την οθόνη.

Haud scio an praeferendum sit nomen secundum hoc exemplum neograecum confictum. Mihi, ut verum confitear, valdê placet huius verbi sonoritas (si quidem adhibetur pronuntiatus aureae Latinitatis restitutus).

Utrum dicemus **óthona** (***computātrālis**) an ***mónitrum** ***computātrāle**?

Oportet deliberemus. Dies diem docet.

10. interrete/ rete

Libenter comprobarem retis verbum praefixo denudatum, nisi aliquatenus timerem, ne confundatur cum reti piscatorio (quod non timeo de verbis eretiendi et irretiendi temporalibus). Sed fortasse hoc periculum nimis magni facio.

11. I-pad / I-phone

Rectê dicis non necessarium esse talia nomina negotiationum specialia in Latinum convertere. Tamen iuvat interdum hoc facere ioci causâ. Ceterum respice formam talium nominum originalem saepe omnis coloris Latini expertem esse.

12. Link – vinculum

Nihil obstat, quin pro iunctione (inter)retiali dicas **vinculum *(inter)retiale**.

13. SMS – nuntiolus

Nuntiolus mihi videtur nimis generalis vox. Tachygramma magis sapit rem technicam modernam.

14. programmatio

Minimê nos dedecet hoc verbum exemplo anglico confictum recipere in sermonem Latinum.

15. touchscreen - *mónitrum tãctile (an *óthona tãctilis?)

Apparet te non habere aliquid melius et intellegibilius commendandum. Hac de causâ in hac verborum coniunctione retinendâ perseverabo, dum aliquis aliquid melius proponet.

16. WLAN - *interrete *infilatum – rete?

Liceat tibi in contextu sermonis, si sensus est intelligibilis, adhibere verbum retis nudum. Sed si solent plerique WLAN dicere – quidni exprimamus illud «less» in Latino quoque sermone?

18. *cinema – pellicula / taenia (cinematographica/ motiscriptoria)

Primo acerrimê respuenda est vox “*motiscriptoria” more culinari conficta. Deinde te moneo, ut distinguas pelliculam photographicam a cinemate, rem, quae monstratur in cinemateo (theod. Kino).

Haec hactenus. Care Porculator, sufficient haec in praesenti, mox, si volueris, certê plura accipies. Pancraticê te valere iubeo. Utinam pergas quam fortissimê pro Latinitate defendendâ pugnare !

Medullitus te salutatur

LEO LATINUS

HANC EPISTULAM LEONINAM

OCTOGESIMAM SEXTAM

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Iovis, 27. m. Aug. a. 2015

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>